

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Adamus Rechenberg, S. Theolog. Doctor ejusdemque
Prof. Primar. Ecclesiae Cathedral. Episcop. Misenens.
Canonicus & Custos ... Pro-Cancellarius, Ad ...**

Rechenberg, Adam

[Leipzig], [1708?]

VD18 14169932

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:obv:ha33-1-202587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:obv:ha33-1-202587)



63. B. 8.

- 1.
- 2.
- 3.
- 4.
- 5.
- 6.
- 7.
- 8.
- 9.
- 10.
- 11.
- 12.
- 13.
- 14.
- 15.
- 16.
- 17.
- 18.
- 19.

50

90

76

77

ADAMUS RECHENBERG,
 S. Theolog. Do&or ejusdemque Prof. Primar. Ecclesiæ
 Cathedral. Episcop. Misnens. Canonicus & Custos,
 Alumnor. Electoral. Ephorus, Academiae Decemvir, Maj. Prin-
 cipp. Collegii Collegiatus, Nationis Misnicæ Se-
 nior & h. t.

PRO-CANCELLARIUS,
 AD
Solennem Panegyrim Theologicam,

D. XIX. ET XX. SEPTEMBR.

IN COLLEG. MAJ. PRINCIPP.

Acroaterio celebrandam,

LECTORES BENEVOLOS
ORDINISQUE THEOLOGICI FAUTORES
OMNES,

QUA PAR EST HUMANITATE
INVITAT.

522

x 85

ADAMUS RECHENBERG
S. Theolog. Doctor eiusdemque Prof. Primarij Facultatis
Cathol. Episcop. Mincens. Canonicus & Censor
Almae Facultatis Theolog. & Canon. Doctoris M. P. in
Collegio Mincensi, Nationis Mincens. ac

PRO-CANCELLARIUS
AD
Solennem Panegyricum Theologicum

D. XX. ET XXI. SEPTEMBRIS
IN COLLEG. M. P. PRINCIPIS

LECTORES HONORARIOS
ORDINISQUE THEOLOGICI PRINCIPES

OMNES
QUI PARTE HONORATA
INVIAT

282



Nihil novandum, nisi quod
traditum est; vetus Step-
hani I. Papæ R. scitum fuit. Quod
ex ejus epistola ad Cyprianum
Vincentius Lirinensis in I. Commo-
nitorio velut divinum oraculum
repetit atque dilaudat. Epistola quidem illa non
amplius extat integra; mentionem tamen ejus lauda-
tus Cyprianus Epist. LXXIV. ad Pompejum facit: *Si
quis ergo, scribit, a quacunque heresi venerit ad nos,
nihil innovetur, nisi quod traditum
est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam; cum
ipsi heretici proprie alterutrum ad se venientes non
baptizent, sed communicent tantum.* ubi Nicolaus
Rigaltius verba hæc (ut manus illi imponatur in pœ-
nitentiam) in allegato loco apud Vincentium deesse
animadvertit. At Stephanus Baluzius Tutelensis in
notis ad istius Commonitorium recte observat, inutile
esse id membrum, quia is non disputat, quoniam

modo recipi oporteat hominem ab hæreticis baptizatum, ad ecclesiam catholicam venientem; sed illud tantum auctoritate Stephani probare voluit: nihil novandum esse, non solum in doctrina de baptismo; verum etiam in omnibus causis fidei, præter id quod traditum est, retinendam antiquitatem, explodendam novitatem, quod argumentis probare multis contendit. confer Eusebii H. E. libr. VII. c. 3.

Mihi heic non erit dividia, istius papalis sententia auctoritatem, qua subinde, quando alicui quid novum videtur allegari solet, excutere; ut cuius ponderis sit in rebus fidei vel ecclesiasticis adpareat.

Novum nempe in genere aliquid, aut ratione originis seu existentia, aut notitia & cognitionis nostræ dicitur. Illo modo nova vocantur, quæ noviter ortum, vel in regno naturæ, vel in republica aut etiam Christiana Ecclesia habent: Hoc vero (quoad notitiam) plurima in mundo nova appellantur, quæ licet diu jam extiterint; quia tamen nondum in hominum præsertim eruditorum notitiam pervenerint, nova audiunt, quod ante iis fuerint ignota.

Salomon quidem Ecclesiast. c. 1. 9. negare videtur, in orbe hoc novi quid accidere: Quid est, scribit, quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est, quod factum est? Ipsum quod faciendum est. Nihil sub sole novum est, nec valet quisquam dicere: ecce hoc

recens.

recens est. Jam enim processit in seculis, qua fuerunt ante nos. Enimvero, quod Salomo statuit, id cum grano salis de ordine naturæ rerumque naturalium, & etiam civilium constante revolutione, ac perversa hominum indole post lapsum generis humani permanente accipiendum est. Id ex libri eius allegati scopo adparet: qui est rerum omnium vanitatem & inconstantiam arguere. Etenim docet, hominum ingenia, mores, consilia, negotia, eventus, scelera etiam atque flagitia non cessare; ac inde eorum autores non dissimilia fata manere, mutatis tantum personis, quæ singulis ætatibus in hoc mundi teatro succedant novæ. Quo fere sensu, *Thucydides olim libr. III. scripsit: civitates in multa & graviora mala delapsæ sunt, quæ & jam sunt, & semper erunt, dum hac hominum natura manebit: vehementius quidem alias, alias levius, diversisque modis, prout mutationes rerum instabiles sunt.* Multis inde rerum antiquarum imperitis sæpe *nova* videntur, quæ talia non sunt; cum ante jam haut dissimilia contigerint. Quia vero nova quæ fiunt, non raro etiam reipublicæ vel ecclesiæ statum turbare, aut periculum accersere solent; ideo *novitatis* nomen fere promiscue exosum factum est: etsi quandoque *novitas* utilis, immo necessaria sit. Odii igitur novitatis causæ diversæ assignari debent.

Prima est præjudicium, seu credula nimis multorum persuasio; priscos nempe homines omnia rectius intellexisse atque ordinasse, quam forte novi homines penetrare possint. Unde velut proverbium Germanis ortum: Die Alten sind auch keine Narren gewesen. Habent enim (scribit Cicero) ut in aetatibus auctoritatem senectus, sic in exemplis antiquitas: vel ut Furius Albinus, apud Macrobium Saturnal. l. II. c. 20. dixit: Vetustas nobis semper, si sapiamus, adoranda est. Symmachus inde, cum aram victoriae a Christianis submotam restitui ab Imperatoribus olim peteret, ad vetustatem ejus provocavit: Repetimus, inquit, religionum statum, qui reipublicae diu profuit, ac inde ceremoniis uti avertis voluit. At bene Ambrosius lib. V. Epist. 31. respondit: Erubescat senectus, quae emendare se non potest: non avarum canities est laudanda, sed morum: nullus pudor est, ad meliora transire. Sane, quod Religionem attinet, Christus hoc Pharisaorum præjudicium Matth. V. 21. seqq. XV. 2. seqq. ipse gravissime redarguit. Quando enim veteres errores ecclesiae & reipublicae noxii, per pravas consuetudines inoleverunt; opus certe est, ut masculae, sed prudenter etiam per nova instituta evellantur & abrogentur. Si vetus prava consuetudo obvertitur, locum habeat Gregorii Papae R. ad Guilimundum Episcopum Averasanensem scriben-

bentis sententia: *Si consuetudinem fortasse opponas, advertendum est, quod DEus dixit Job. XIV. 6.*

Ego sum via, veritas & vita: non dixit, ego sum consuetudo, sed veritas. v. Jur. Can. distinct. VIII. c. si consuet. Altera causa fastidii novitatis innoxiae per sepe est invidia cum ignorantia rerum meliorum conjuncta. Quo respexit Martialis:

*Hi sunt invidiæ nimirum, Regule,
mores,
Præferat antiquos semper ut il-
la novis.*

Vel ut *Vellejus* l. II. c. 92. habet: *audita visis libentius, & presentia, invidiâ, præterita veneratione prosequimur.* Huic accedit ignorantia aut negligentia inquirendi, aut conferendi nova cum antiquis institutis corruptis. Multi enim, ut cum *C. Tacito* loquar, *tadio nova cura semel placita pro aternis servare malunt:* cum tamen, ut idem loquitur, *non omnia apud priscos meliora, sed nostra quoque atas multa laudis & artium imitanda posteris tulit.* Et recte *Seneca* Epist. 123. animadvertit: *Inter causas malorum nostrorum est, quod vivimus ad exempla: nec ratione componamur, sed consuetudine abducamur. Quod si pauci facerent, nollemus imitari: cum plures facere cœperunt, quasi honestius sit, quia fre-*
s25 *quen-*

quentius, sequimur: & recte apud nos locum tenet error, ubi publicus factus est. Egregius v. locus Tertulliani de Virgin. velandis c. 1. observatu heic dignus est: Hoc exigere, ait, veritatem, cui nemo prescribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegia regionum. Ex iis enim fere consuetudo initium ab aliqua ignorantia vel simplicitate sortita, usum per successionem corroboratur, & ita adversus veritatem vindicatur. Sed Dominus noster Christus veritatem se, non consuetudinem cognominavit. Si semper Christus & prior omnibus; aque veritas sempiterna & antiqua res; viderint ergo, quibus novum est, quod sibi vetus est. Hæreses non tam novitas, quam veritas revincit, quodcumque adversus veritatem sapit, hoc erit hæresis, etiam vetus consuetudo. confer Tertull. de Prescript. Hæret. c. 31. & Lutheri tom. I. opp. Jenens. f. 336.

Prudentia igitur opus est, ne nova promiscue, noxia an innoxia sint, aversemur & ideo rejiciamus confestim, quia nova sunt, aut nobis antea ignota. Inquirendum potius est, cujus indolis illa, quæ ut nova fastidiuntur, sint; an solidam veterum doctrinam probatam evertant; an reipublicæ, an veræ religioni, quæ antiquissima est, noxam adferre turbasque per se ciere apta sint? Sæpius enim accidere assolet, ut nova ex ignorantia, vel invidia appellentur, quæ

quæ sunt antiquissima & innoxia. His illud ex Apolog. Tertulliani objici potest: *Laudatis semper antiquos, sed nove de die vivitis.*

Sic Judæi verbum Evangelii a Paulo prædicatum, quod erat antiquissimum, *novitatis* nomine, ex ignorantia & perverso zelo repudiarunt turbasque concitarunt plurimas, *Act.* XVII. 5. 6. seqq. *cap.* XIX. 22. seqq. De hujus novitatis noxiæ & innoxia discrimine in civitate & ecclesia, alibi plura disserui. Heic de *novitate circares fidei & sacra*, quæ *Stephanus* supra allegatus respicit, tantum inquirere paucis juvat: ne convitio *novitatis* invento, sine discrimine, vera & falsa, bona & mala, nullo habito discrimine, confestim sub prætextu novitatis rejiciantur.

Christiana nimirum Religio dogmatibus fidei, quæ ad cultum DEi internum spectant, dein ritibus, ceremoniis & disciplina ecclesiastica, quæ ad cultum DEi pertinent externum, constat. Quorum *illa*, si fundamentalia sunt atque œconomiam fidei salvificæ in divinis literis patefactam ingrediuntur, antiquissima merito censentur, circa quæ nulli mortaliū quidquam innovare aut mutare licet. Una enim est veterum fidelium in V. ac Christianorum in N. Testamento credendi ratio ad salutem æternam nanciscendam necessaria *Act.* IV. 12. c. X. 43. XV. 11. *Rom.* XIV. 6. 7. Nam *una fides* *Ephes.* IV. 5. una vera tan-

tum Religio. Quorum autem *ista* (ceremonias & ritus sacros puta) non semper eadem in ecclesia circa cultum DEI externum constitutos fuisse legimus. Alii enim ritus in V. Testamento, alii in Novo, & quidem diversi iterum in diversis locis instituti sunt. Quorum rationes & hac in parte novationes factæ ex divinis literis passim a christianis doctoribus expositæ atque probatæ extant, de quibus *Augustini* Epist. ad *Januarium* CXIX. legi meretur. *Hac* autem (disciplina ecclesiastica) cum regimine externo ecclesiæ in Papatu post sextum a nato *Christo* seculum mutata, ut in ceremoniis sacris multiplicatis, ita & plurimas novas atque veræ Ecclesiæ noxias invexit novitates cum obscuratione fidei doctrinæ salutaris, & oppressione libertatis Christianæ cultusque DEI interni, qui in spiritu & veritate consistit. Quæ cum longa consuetudine in ecclesia invaluissent, animisque superstitiosis insedissent, *antiquitatis catholica* nomen perperam induerunt. Contra quas superstitiones inolitas si quisquam postea fidelium hincere ausus est, *novitatis* statim noxiæ aut hæresis postulatus atque damnatus fuit ideo, quod falso jactatæ huic antiquitati contradicere, veramque antiquitatem Apostolico-Catholicam reducere visus sit. Hinc tot certamina de antiquitate & novitate in Christiana Ecclesia tum orientali tum occiden-

dentali exorta legimus, quibus Religio Christiana infidelium & profanorum hominum ludibrio exposita est.

Nos igitur, ut ad Sæphani I. Papæ R. axioma supra a Vincentio Lirinensi tantopere laudatum redeamus, illud nec simpliciter adprobare, nec simpliciter repudiare possumus. Etenim verissimum est, quod circa fidei dogmata in divinis literis extantia fidemque salvificam ingredientia nihil sit novandum, nihil addendum, nihil demendum. At primum illa dogmata fidei distinctim ex divinis literis proponenda, asserenda & vindicanda sunt; deinde ex iisdem liquido demonstrandum est, quæ scitu atque creditu ad salutem æternam consequendam sint necessaria. Ubi vera fidei analogia, quam multi parum intelligunt, penitus noscenda venit. Cujus probandæ & demonstrandæ norma est sola Scriptura S. non vero *Traditio ecclesiastica*. Qua in parte *Vincentius*, vir cetera doctissimus ac pius erravit; quod dum in *novitates* hæreticorum justo zelo invehitur, *Traditionem* veteris ecclesiæ, Patrum & conciliorum antiquorum decreta Scripturæ S. ceu alteram adjunxerit normam. *Hoc scilicet* (scribit p. 360.) *quod in principio Commonitorii istius sanctos & doctos viros nobis tradidisse scripsimus, tenendum & credendum esse, ut divinum canonem secun-*

*dum universalis ecclesie Traditiones & juxta
Catholicas dogmatis regulas interpretentur: in qua
item catholica & apostolica ecclesia sequantur necesse
est universitatem, antiquitatem, consensionem. Limi-
tationem quidem p. 362. addit: Quibus tamen (Patri-
bus) hac lege credendum est, ut quicquid vel omnes, vel
plures, uno eodemq; sensu manifeste, frequenter, perse-
veranter, velut quodam consentiente sibi magistrorum
concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint,
id pro indubitato, certo ratoque habeatur. Inde in Se-
cundo Commonitorio sub initium pag. 364. edit. Ba-
luz. sententiam hanc suam confirmare pergit: Dixi-
mus, scribit, in superioribus hanc fuisse semper & esse
hodie Catholicorum consuetudinem, ut fidem veram
duobus his modis adprobent. Primum divini cano-
nis autoritate, deinde ecclesie catholice traditione.
Non quia Canon solus non sibi ad universa sufficiat;
sed quia verba divina pro suo plerique arbitrato
interpretantes, varias opiniones erroresque concipi-
ant; atque ideo necesse sit, ut ad unam ecclesiastici
sensus regulam Scripturae caelestis intelligentia diriga-
tur, in iis duntaxat precipue quaestionibus, quibus
totius catholice dogmatis fundamenta nituntur &c.
confer, quae in I. Commonitorio p. 31. tradidit.*

*Verum si unica & sola norma, secundum quam
omnia*

omnia dogmata, omnesque doctores æstimari atque
judicari oporteat, est S. Scriptura Canonica, cui hac in
parte nihil addi, nihil demi debeat, *Deuteron. XII. 32.*
Es. II. 20. Psalm. CXIX. 105. Rom. X. 10. Galat. I. 8. nul-
la ratione aut jure *Traditio ecclesiastica* illi
in actu, ut ita loquar, normandi hæreses aut novita-
tes addi potest. Scriptura enim S. in rebus fidei mo-
rumque perspicua est, seque ipsam explicat, ut inter-
pretatione, quod capita fidei creditu necessaria ac
mores attinet, *traditione* haut indigeat humana.

Pontificii quidem, cum nova sua dogmata er-
ronea, supersticiosos ritus, ac Papatum dominan-
tem ex divinis literis probare nesciant, subinde hac
quidem in parte ad *Traditionem* veterum pro-
vocare assolent, *Concil. Trid. Sess. IV.* At *Innocentius*
Gentilettus Exam. hujus Concilii P. II. §. 4. p. 48. erro-
rem hunc animadvertit: *Quod si (ait) veteres ecclesie*
primitivæ & S. Patrum interpretationes recipienda ef-
sent, ea maxima ex parte hujus concilii doctrinam e-
verterent. Id quod noster *Mart. Chemnitius* in ejusdem
Concil. Examine luculentius probatum dedit. Quæ ex
recentioribus Pontificiis fratres *Adrianus & Petrus de*
VVallenburch, in *Traçt. contract. de controversiis, Ex-*
am. IV. p. 52. oggerunt, τὰ κεινόμενα tamdiu ma-
nent, donec catalogum Patrum γνησίως orthodoxo-

rum ediderint, deinde genuina eorum scripta a spuris & dubiis vindicata demonstrarint, atque hinc istorum genuinum sensum eruerint, ac porro singula fidei dogmata scitu & creditu ad salutem necessaria distinctim proposuerint, eorumque inter se consensum probarint. Deinde videndum est, an ille consensus pro principio aut norma catholicæ veteris & Christianæ doctrinæ veritatis, jure venditari queat. In vulgus enim notum est, quod multi priscae ecclesiæ Doctores, quos Patres vocant, naves suos habeant, ac inter se dissentiant: taceo quod a R. ecclesiæ doctoribus multis perfide etiam tractentur. *Sixtus Senensis* sane in *epist. nuncupatoria Biblioth. S. ad Pium V.* Papam, id diffiteri non potuit: *Beatissime, scribit, Pater, expurgari & emaculari curasti omnia Catholicorum Scriptorum & præcipue veterum Patrum scripta, hereticorum atatis nostræ facibus contaminata & venenis infecta.* Sed quomodo? Per indices nempe expurgatorios, quibus dicta quæ R. Ecclesiæ & Pontificis corruptæ doctrinæ vel autoritati adversabantur, deleta atque expuncta fuere, v. *Indic. expurgator. Hispan. & Rom. a. M. DC. LXVII. in Belgio edit.* et confer *Riveti tractat. de autoritate Patrum ac Critic. S.* præmissum. Mirari inde subit, cur doctissimus olim Theologus, *D. G. Calixtus*, Vincentii Lirinensis sententiam de Patrum priorum quinque

que seculorum consensu, hac in parte suam fecerit, hisque adjunctis ecclesie antiquae Symbolis, illum pro principio saltem secundario cognoscendi, quae fidei dogmata ad salutem aeternam creditu sint necessaria habere sustinuerit, v. *Ejus tractat. de Arte Nova §. XL. & LXXI. seqq.* Sane ipse *Vasquez tom. I. in Thom. Diss. XII. c. 1. n. 2.* statuit: *Patres etiam simul sumtos, non habere auctoritatem aliam; nisi humanam, nec concludere alia de causa, quam quod ecclesia consensum eorum in interpretatione scripturae recipit.* Quod ante eum *Augustinus* etiam agnovit *Epist. XIX. ad Hieronymum*, de quaestione: *An Paulus Apostolus Petro serio contradixerit, & serio ista scripserit, quae cap. II. ad Galat. leguntur:* ubi tam infallibilitatem testificandi de veritate & falsitate dogmatis credendi, vel non credendi, Patribus seu doctoribus antiquis Ecclesiae diserte abjudicat. *Dionysius Petavius*, doctissimus Jesuita, etiam in *prolegom. Theolog. Dogmat. c. II.* inde Patrum scriptis simul sumtis tantum *probabilitatem* in rebus fidei probandis tribuit; adeoque illa certam judicandi de novitate falsae doctrinae normam constituere nequeunt. Pertinet huc memorabilis *S. Cypriani* locus *Epist. LXIII. fere in medio:* *Non est ergo, scribit, frater carissime, quod aliquis existimet, sequenda esse quorundam consuetudinem. Quarendum enim est ipsi, quem*

secuti sint? Nam si in sacrificio, quod Christus obtulerit, non nisi Christus sequendus est, utique obedire & facere oportet, quod Christus fecit, & quod faciendum ille mandavit. Quare si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putavit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed DEi veritatem &c.

Perstat proinde *Formula Concordia*, quæ nostræ ecclesiæ est sententia p. 570. seqq. unicam tantum regulam & normam, secundum quam omnia dogmata omnesque Doctores aestimari & judicari oportet, nullam omnino aliam esse, quam prophetica & apostolica scripta cum V. tum N. Testamenti: Reliqua vero sive Patrum, sive neotericorum scripta, quocunque veniant nomine, s. literis nequaquam esse equiparanda, sed universa illis subjicienda esse; ut alia ratione non recipiantur, nisi testium loco, qui doceant, quod etiam post Apostolorum tempora, & in quibus partibus orbis, doctrina illa Prophetarum & Apostolorum sincerior conservata sit.

Novitatis igitur in rebus fidei & sacris noxiæ,
unica

unica norma, S. Scriptura canonica est, non veterum, multo minus neotericorum quorundam doctorum qualibuscunque in ecclesia præfulgeant titulis, autoritas. Quia omnis novitas in sacris ad antiquissimam divinarum literarum autoritatem examinanda venit; nempe, an illis congruat, an non? Sæpe enim numero accidit, ut hæc vel illa pars doctrinæ aut disciplinæ Christianæ, ab imperitis aut valde musteis censoribus audacter *novitatis*, etiam suspirio hypocritico intersperso postulata fuerit; quæ tamen in divinis scripturis, imo etiam in antiquorum Patrum scriptis tradita cum reverentia legitur. Magnæ igitur audaciæ & impudentiæ signum est, si qui superciliosæ homines antiqua catholica & apostolica sæpe dogmata ideo, quod ipsis vel ignorantia vel aliquo præjudicio laborantibus videntur *nova*, confestim multo cum clamore impugnatum eant, antiquæ ac orthodoxæ veritatis assertoribus *novatorum* convitio nequiter impacto. Quod vocabulum ubi apud imperitos insonuit, tanta sæpius vere-orthodoxis, a pseudorthodoxis invidia conflatur, quantum apud Pontificios auditum nomen *heresis* parit. Ita olim Paulo Apostolo accidisse legimus, cum Christi Evangelium antiquissimum prædicare instituisset, *Act. XVII. XXIV. XXVI.* Nemo etiam ignorat, *Lutherum* nostrum, cum divino auspicio excitatus, anti-

C

536 quam

quam doctrinam Apostolicam in Papatu tot erroribus & superstitionibus inquinatam longaque consuetudine obscuratam repurgare ac instaurare cœpisset, *Novatoris* subinde convitium audire ac tolerare oportuisse. Quam inspidam calumniam & ipse sapius, & noster *Henricus Hœpfnerus Evangelic. Saxonia c. IV.* diluit. Contra vero Papatus in R. ecclesia *novitatem*, antiquæ apostolicæ doctrinæ repugnantem noster *Martinus Chemnitius, D. J. Gerhardus in Confess. Catholic. D. Nic. Hunnius, de Apostasia R. Eccles. Petrus Molinaus, de Novitate Papismi, & alii* solidissime demonstrarunt.

Fuerunt olim gentilismi similes querelæ multæ adversus exordia Christianæ Religionis, quas ex Tertulliani Apologetico, ex M. Minucii Octavio, ex Arnobio & aliis, cum primis vero ex ipsiusmet patroni Symmachi facunda ad Valentinianum Theodosium & Arcadium Augustos epistola, quæ est LIV. l. X. licet petere. Nec enim lac lacti magis est simile, quam hi Romanensium Pontificiorum clamores illis priscis Romanæ idololatriæ patronis. *Novitas* ergo levitatis aut criminis, sine discrimine argui non meretur; quin potius digna est præconio, quæ in melius nempe facta, & quam iussit sive æterna animæ sive etiam reipublicæ temporaria salus. Læsa vero vetustatis prætextus exami-

mi-

minandus est: an illa nempe jactata antiquitas sit prima antiquissima, quæ a Magistro religionis Christianæquam proxime promanarit; an vero oppresso antiquissimæ doctrinæ genere, ex novæ doctrinæ placitis prava consuetudine assumtis & inolitis, diversa ab illa prima vetustate sit nata antiquitas, quæ a novo magistro aliquo Romæ prævalente, id nominis induerit, ac adeo pro vera illa antiquitate Apostolica falso venditetur? Id quod posterius antiquitatis genus Pontificii jactant. Sed nostrates Theologi inde a Lutheri tempore hoc rejiciendum esse ex divinis literis, & sanæ ac canæ antiquitatis monumentis abunde dudum demonstrarunt. Manifestum etiam hoc est, non quamvis antiquitatem idoneam esse, quæ det posterioribus istis certum veritatis signum, sed solam illam omnium primam a Magistro veritatis Christo vicinissimam. Quo magis autem recedit ætas ab illa antiquitate, eo magis amittere probandi vim, si longum intervallum inter prima ac nostra tempora intercesserit, etiam quæ alioquin haut exigua apparet vetustas, creditur. Quia ad primum ævum collata, nova ac recentior est,

omnique robore caret. Nunc inquirat quis in primam antiquitatem apostolicæ doctrinæ, quæ per quatuor a Christo nato secula in Christiana Ecclesia viguit; & hanc cum Romanæ Pontificiæ ecclesiæ (quæ sensim in statum monarchicum imo tyrannicum, sub prætextu summæ potestatis ecclesiasticæ degeneravit) publica doctrina in Concilio Tridentino sancita contendat: profecto novitatem ejus, nisi cæcus sit, oppido videbit imo palpabit. Facessant ergo veteratores illi, & desinant nobis istas voculas prudentibus sane viris indignas objicere. *Id verius, (ut loquitur Tertullianus) quod prius; id prius, quod ab initio; id ab initio, quod est ab Apostolis.* Vicissim quod illorum non ab Apostolis, qui divinitus fuere ablegati ad docendum nos mortales, id non est vere vetustum, id novum: quod novum, id sine veritate: *vetustas etiam sine veritate, nihil nisi inveteratus error, dixit S. Cyprianus.*

Ceterum vero quod ceremonias & ritus antiquitus in ecclesia vel ad excitandam devotionem in cultu DEI externo, vel in decorem duntaxat institutos attinet, de illis pii confes-

sessores nostri prudenter judicant & monent:
*Aug. Conf. artic. XV. de Abusib. art. V. &
VII. Apolog. A. C. cap. VIII. Form. Conc. art.
X. & in solida, plana ac perspicua Repetitio-
ne & Declarat. artic. X. pag. 791.* Quæ uti-
nam observarentur ab omnibus recteque in
usum ecclesiæ applicarentur. Quod sane ad
officium Theologi spectat. De quo, DEO
dante, perendie in solenni panegyri plura di-
cturus sum. Hæc interim de *novitate circa
sacra* præfari libuit; quod non alienum ab in-
stituto nostro videretur, quo novos Theologiæ
Licentiatos publica autoritate jam instructus,
more Academico solenniter renunciare jussus
sum. Duo enim S. Theologiæ Baccalaurei,
Viri admodum reverendi atque excellentis-
simi,

**DN. M. JO. GEORGIUS
ABICHT, EBR. LING. P. P.**

&

**DN. M. CHRIST. FRIDER.
BOERNERUS, GRÆC.
& LAT. LING. P. P.**

nomina sua apud nostrum Collegium Theolo-

C 3 532 gi-

gicum professi, literis petierunt exhibitis, ut si-
bi rigorofo examine ipsorum in S. Theologia
profectibus, quos fecerant, jam exploratis,
consueto in Academiis more, *Licentiam*,
quam vocant, *assumendi aliquando summos*
in Theolog. honores, impertiremur. Horum,
inquam, in divinis literis studium & eruditio-
nem haut proletariam, cum institutis exami-
nibus aliisque documentis editis jam satis co-
gnoverimus, causam non habemus, cur eo-
rum desiderio velificari nolimus. Quapro-
pter facultate & potestate mihi hoc tempore, a
S. Reg. Majest. & Elector. Serenitate,
Domino FRIDERICO
AUGUSTO, Domino nostro lon-
ge clementissimo, tutorio & administra-
torio nomine, *Reverendissimi ac Se-*
renissimi Principis ac Domini,
Domini MAURICII WIL-
HELMI, *Postulati Admini-*
stratoris Episcopatus Martisbur-
gici, Ducis Saxoniae, Juliae, Cli-
viae

viæ & Montium &c. &c. Cancellarii hujus Academiæ Perpetui, Domini nostri Clementissimi, gratiosissime concessa, futura XIX. Sept. hora a meridie secunda, in auditorio Colleg. Maj. Principp. laudatos modo Candidatos, annuente Collegio nostro Theologico, Dissertationes suas erudite conscriptas publice defensuros, cum DEo in publicam producam scenam: insequente vero die XX. horis matutinis, dicto loco, coeptum examen seu colloquium ante continuabitur, quam solenni ritu honoris nominati jam titulus ipsis a me conferatur. Cui actui, ut major accedat splendor, testesque suæ præclaræ industriæ ac eruditionis theologicæ domini Candidati habeant publicos; Vos, Magnifice Academiæ Rector, utriusque Reipublicæ Proceres, omnisque eruditi ordinis, inprimis vero qui titulis & gradibus gaudetis theologicis, Viri honoratissimi, cum nobilissima studiosa juventute, quo par est modo, humanissime rogo, ve-

533 litis

litis hanc panegyrim academicam præsen-
tia vestra splendidissima ornare atque resta-
ri, quam vel ordini nostro, vel laudatis
dominis Candidatis faveatis. Nos vicissim
diligentem navabimus operam, ut omni offi-
cii genere, quod gratum *Vobis* fore intelli-
gemus, quoad poterimus, compensemus.

P. P. Lipsiæ Dominica XV. Trinitat.

M. DCC. IIX.


Literis CHRISTOPH. FLEISCHERI.





NO 12

45



PR